Ginii

Ad. Ferd. I

Senenses

1787 Or. Gini p. Ferdinando de' Medici


24860
175


A TEMPO ◊ A TEMPO
CHI SA SA
E CHI NON
SA SU'
DANNO
EX
LIBRIS
SER
U. MANGANELLI

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/leonardiginiicor00gini

LEONARDI GINII CORTONENSIS ORATIO;

Qua Sereniſs. FERDINANDO *Medici Cardinali ampliſsimo, Nouo Etruriæ Magno Duci* SENENSES *gratulantur:*



FLORENTIAE.
Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXXVII.

BIBL. GVST. I. GALLETTI FLOR.

MAXIMVS certe dolor eſt, quem Senenſes omnes Sereniſsimi FRANCISCI fratris tui Magni Ducis noſtri morte accepimus Sereniſsime Dux. Letitia vero, quam ex hac maxime exoptata nobis tua dignitate percepimus,tanta eſt,vt eam animus noſter capere vix poſſit. Itaq; (quod fieri poſſe philoſophorum ſcholę omnes negant) in ſumma lætitia maximo afficimur dolore; & in maximo dolore ſumma atq; incredibili lætitię fruimur voluptate. Amiſimus iuſtiſſimum prudentiſsimum Ducem,atq; optimum. Non angemur?Non cruciabimur? Habemus te ſucceſſorem & Ducem benigniſsimum ſapientiſsimum liberaliſsimum, & non ſolum iuſtitia, ſed omnibus animi corporiſq; muneribus inſignem atq; illuſtrem; Nonexultabimus? Non lætitia efferemur? Quo igitur prius nos conuertemus? Quis prior erumpet affectus? Impellit dolor. Allicit, & quadam ſuauitatis, ac dulcedinis vi ad ſe rapit lætitia. Cuius vires, quanto ſunt recentiores,atque adeo etiam maiores,tanto minus videri mirum debet nos ei parere & cadere coactos eſſe. Hoc habet natura rerum Sereniſsime Dux, hoc rerum viciſsitudo poſtulat. Qui è graui aliquo morbo recreatus eſt (ea confirmatæ valetudinis eſt voluptas) medicinæ, qua ſanus factus eſt, acerbitatem penitus obliuiſcatur. Naſcitur puer; omnem matri præteritorum partus laborum memoriam tollit. Noua hæc,nobiſq; maxime expectata dignitas tua alterius deceſſus dolorem nō lenit ſolum, ſed pene exhaurit vniuerſum. Quę amiſimus, ſola nos recordatione mouent:Quę vero præſentia videmus, quibus aſsidue fruimur,ea,vt ſenſus omnes, ſic vires animi ac mentis agitant vniuerſas. Dolor tempore conſeneſcit, lætitia adoleſcit in dies & augetur.Sereniſsimus FRANCISCVS, id quod naturę neceſsitas poſtulabat, ex hac vita, nempe ex his miſeriis deceſsit. Sciebamus id aliquando futurum: itaq; ad eum dolorem animos ante paraueramus. Videmus, id quod, niſi dolor ille anteceſsiſſet,fieri non poterat, te ei ſuc-

ceſsiſſe; quod quum ſummis votis optaremus, non tamen omnino futurum confidebamus, & incertos humanos caſus omnes pertimiſcebamus. Nunc difficultatibus omnibus, dubitationibuſq: ablatis, in tanta, tanq; inopinata lætitia quomodo nobis temperabimus? Habuimus Sereniſsimum COSMVM patrem tuum ſalutis, quietis, ac felicitatis noſtræ autorem & ducem. Habuimus Sereniſsimum FRANCISCVM iuſtiſsimum Principem & prudentiſsimum. Itaque eorum memoriam beneuolentia proſequemur ſempiterna. Nunc te, quem viuum præſentenque intuemur, cuius mentem ſenſumq; & os cernimus, cuius liberalitatem, animiq; magnitudinem & æquitatem cognitam perſpectanq; habemus, cuius ſapientiam, prudentiã, iuſtitiam, æquabilitatem admiramur, non hilari, ſummaq; lętitia exultanti animo colemus, obſeruabimus, reuerebimur? non beneuolentia maxima complectemur? non animi noſtri hilaritatem, atq; lætitiam ſaltem verbis, atque oratione oſtendemus? Aliquem Sereniſsimo FRANCISCO omnino ſuccedere neceſſe fuit; quis erat, quem magis optare deberemus? quem conferre tecum poſſemus? cui hoc magis deberetur? Tu arctiſsimo cognationis vinculo cum ſuperioribus Principibus coniunctus, filius videlicet, ac frater: Tu ab ipſa pueritia ad principatũ educatus atq; edoctus. Tibi ad optimam naturam optima etiam acceſsit inſtitutio. Quarum quantæ fuerint vires progrediente ætate eſt plane cognitum. Nam pene puer in Cardinalium collegium cooptatus, mirum eſt, quantum decoris, quantum dignitatis, quantum ſplendoris illi ordini adiunxeris. In quo multo, quam generis nobilitatem & potentiæ magnitudinem, optimi ingenii indolem, imo in puerili ætate ſenilem prudentiam magis admirabantur: quę ita ſimul cum ætate adoleuit, vt te vnum, tanquam virtutum omnium verum exemplar reliqui omnes intuerentur. Quanti vero prudentiam tuam facerent, quanto pere autoritatem ſequerentur, bis in Pontificiis Comitiis eſt plane animaduerſum. Quid Equites Diui Ioannis auſpiciis militantes, quam honeſtum, quam decorum,

rum, quam ſibi commodum reputauerunt, quod tu eorum ſuſceperis patrocinium? Philippus Hiſpaniarum Rex prudentiſsimus ac potentiſsimus quid aliud ſpectauit? qui te, quum primum licuit, negociorum ſuorum Romæ optauit eſſe patronum. An fortaſſe deerant Cardinales, qui id ſibi mandari ſummopere exoptarent? Non igitur te ille Cardinalem reſpexit: ſed fidei, prudentiæ, ac diligẽtiæ tuæ negocia ſua, ſeq; cõmiſit. Neque vero eum fefellit opinio. Imo ea multo, quam cogitauerat, maiora expertus eſt. Siquidem tu in eius Regis negociis omnibus talem te oſtendiſti, vt neque diligentiam maiorem, neque maiorem grauitatem, neque maiorem autoritatem, neque maius in iis agendis ſtudiũ quiſq; oſtendere potuiſſet. Præterea aliis etiam in rebus ita te gerebas; ita virtutes omnes exercebas, vt quum quantũ liceret efficeres, tum quantum facturus eſſes, quum plus licuiſſet, oſtenderes. Itaq; Princeps natus ita ad Principatum, quem tibi Deus Opt. Max. detulit, nihil tale cogitanti, vnius virtutis gratia te exerciuiſti; vt ante, quam Principatum teneres, quę optimum Principem decent, omnia optime intelligeres. Vt non tam propter patrias leges, non tam propter legitimam hæreditatem Principatu dignus habereris, quam propter excellens ingenium, eximias animi dotes, optimamque viuendi rationem; quibus rebus, mirum eſt, quam cæteris omnibus longe præſtes. Quamobrem, quum optima optime gubernandi exemplaria, eaq; domeſtica tibi proponere poſſis, Fratrem tuum Sereniſſimum optimumq; Ducem noſtrum; quem hodie lugemus extinctum, cuius recens recordatio temperat aliquo modo lętitiam noſtram; & Sereniſſimum Patrem, virum omnium ſeculorum prudentia, & altitudine animi facile Principem, qui quantus fuerit, eius ampliſſimæ res geſtæ declarant; vt non immerito Pontifex noſtra & patrum noſtrorum memoria ſanctiſſimus Magni cognomen, quod tu, virtutibus tuis iam diu debitum, habes hodie hæreditarium, ei addiderit. Quum inq; hæc tibi ſint domi exemplaria, hęc virtutum omnium ſimulachra; nihil tamen

eſt,

eſt, cur alium, quam te ipſum precipue obſerues. Etenim, ſi tu te reſpexeris, omnium virtutum imagines in te vno videbis impreſſas; qui, ſi quando te Deus aliquibus preficeret, te ipſum prius ornaſti, quo maiori deinde illis ornamento eſſes. Quod enim poteſt maius eſſe ornamentum, quam ſuus cuiq; ciuitati ac populo Princeps, manſuetudine, iuſtitia, magnitudine animi, benignitate, cæteriſq; virtutibus omnibus ornatus atq; inſignis? Hæc ſunt Sereniſſime Princeps, que animos hominum alliciunt, atq; exhilarant; hæc ſuſcipiunt homines, hæc admirantur; His elati gaudio exultant. An tu alia de cauſa tantum non ſolum Tuſcie, ſed Italiæ vniuerſæ motum factum eſſe exiſtimas? Roma, vbi tu tot annos maxima cum laude, Romanorumq; omnium atq; incolarum maxima cum beneuolentia, & admiratione vixiſti, cur huc pene vniuerſa confluxit? Num vt Magnum Etruriæ Ducem tantum videret? minime vero. Princeps iis virtutibus, quæ Principum ſunt propriæ, deſtitutus, nihil certe eſt, niſi vnus homo aliquis, vel potius hominis, imo horroris atq; odii ſimulachrum. Te igitur videre cupiebant, cuius virtutes, ſibi antea plane cognitas, quemadmodum animo contemplabantur, ſic huiuſmodi honore auctas, ſi virtutem ornari verius, quam ornare dicendum eſt. vel certe dignitatem hanc atq; amplitudinem illuſtrantes, cernere oculis, atq; aſpicere exoptabant. Atq; vt, quanta apud eos in exiſtimatione ſemper fueris, ſigno aliquo demonſtrarent, huiuſq; deſiderii ſui magnitudinem teſtificarentur, legationem ad hoc, quod alias nunquam factum eſſe intelligimus, vltro publicam miſerunt. Quod non ſolum eorum beneuolentiæ, atq; amoris indicium, ſed virtutum quoque tuarum ſignum eſt certiſſimum. Is enim demum optimus Princeps habendus eſt, quem boni viri non aliquo metu, neque illius fortunam admirantes, ſed ingenium moreſq; optimos ſuſpicientes, vltro & preſentem, & abſentem reuerentur, ac ſummis laudibus celebrant, atque extollunt. Neque vero dedecet virum virtute preſtantem dignitates, honores, laudationes, gratulationes,

appellationes,

appellationes,tituloſq; pulchros atq; inſignes,præſertim diuinitus, quod tibi accidit, oblatos excipere & approbare: non quo ſibi iis rebus quicquam putent eſſe additum; ſed potius vt, dum eam dignitatis amplitudinem vita & moribus exæquare, dum iis laudibus reſpondere, dum iis appellationibus ac titulis ſe non eſſe indignum ſtudet oſtendere,excitet ipſe ſeſe,& ad honeſte & cum virtute agendū,ſi vnquam alias, tunc maxime inflammetur.Principatus enim Principum ingeniis perinde eſt,atque Sol aquilarum pullis obiectus. Nam ſpurii & auium imperio indigni ſolem intueri aduerſum nequeunt: ſed ipſorum oculorum acies illius victa ſplendore hebeſcit. Legitimi vero atq; ingenui hilares & ſine offenſa illum aſpiciunt. Sic Principatum Principes indigni, qui ſe in eam dignitatem quoquomodo quaſi intruſerūt, eius molem ſuſtinere,eius magnitudinem capere, eius claritatem nequeūt aſpicere; ſed ipſorum acies ingeniorum clariſſimæ eius lucis vi retuſa penituſq; obtuſa, atque in virtutum lumine errans, ad vitiorum obſcuritatem cæca deflectit. At legitimi Principes ingenii mentiſq; viribus infractis propria niſi virtute in commiſſi ipſorum virtutibus imperii dignitatem,amplitudinem,decuſq; intendentes, atque ibi,quaſi in quodam ſpeculo ſe ipſos cernentes:excolunt ſeſe ad illius normam atq; informant, neque deſperationem metumq; ſuis & mærorem, ſed fiduciam ſpenq; optimam afferunt,& lætitiam. Quamobrem, ſi quorum tua hæc dignitas nullam in partem multum intereſt,tamen,vt ſuum in te amorem atque obſeruantiam teſtatam apud omnes relinquant,maxima ſummæ letitiæ ſigna dant: nos,qui & tui,& in tua ditione ac poteſtate ſumus; ad quos plurimum decoris, honoris atque vtilitatis ex hac amplitudine tua eſt peruenturum, ſedebimus ocioſi, alienæ gratulationis ac letitiæ ſpectatores? neque gaudium noſtrum patefaciemus? Acclamantium voces, quibus, quacumque tranſis,latiſſimis, frequentiſſimo theatro, incredibili clamore & plauſu exciperis, Florentia Senas vſque referuntur. Nos iis exciti,& quaſi inuitati ſilebimus? nulla ſignificatione ani-

mum

mum noſtrum declarabimus? Terra Medius fidius Cœlumq; ipſum Sereniſſime Princeps tibi nouo Duci quam maxime gratulari geſtit. Vernas roſas habemus hybernas: quas terra cœlo benigne aſpirante, neque vnam aut alterã, ſed quam plurimas fundit: vt quemadmodum tu aurea, ſic inſolita roſea corona anni hæc tempeſtas tui quaſi honoris gratia ornetur. Noſtrum igitur gaudium latebit? nulla lætitiæ noſtræ ſigna extabunt? Vtinam Sereniſſime Dux vt verba audis, poſſes & animos & corda noſtra intueri: Vnum videres omnium Senenſium eſſe animum, vnum cor, vnum deſiderium: nihil cuiquam æque eſſe cordi, quam honorem, dignitatem, atque amplitudinem tuam. Si quid vnquam magnum ſummis votis exoptaſti, atque id aliquando tandem fueris conſequutus recordare, obſecro, quanta lætitia exultaueris; quod ſi maximam illam fuiſſe ſenſeris; certe tibi perſuadere debes, noſtram hanc nihilo eſſe illa inferiorem. Verum enimuero ſi te ipſum, noſque reſpexeris, hoc ita eſſe nihil dubitabis. Videbis enim talem te eſſe, qualem optimum Principem decet, videbis nihil aliud nos optare, niſi vt talem Principem habeamus, qualem te eſſe intelligimus. Itaque maximas Deo immortali gratias & habeamus & agamus neceſſe eſt, cuius nutu & conſilio hoc factum eſſe certo ſcimus: vt in tuo dominatu atque imperio hilarem vitam, quietamq; ducamus, iiſq; bonis omnibus, quæ nobis vel natura vel fortuna largita eſt, vel induſtria peperit, tranquille feliciterq; fruamur. Vix .n. fructus vllus capi ex iis commode poteſt, niſi ius legibus conſtitutum, niſi leges a Principe factę, niſi Princeps, diuinæ benignitatis munus, adſit. Ius enim finis eſt legis, lex Principis opus, Princeps imago Dei cuncta optime adminiſtrantis. Debent enim Principes, quanto cæteris hominibus dignitate ac potentia pręſtant, quãtoq; propiori quaſi cognatione Deũ attingunt, tanto ad eum propius, quantum homini licet, vita & moribus accedere. Hoc tu quidem pręte ſemper tuliſti, qui, quod Dei eſt maxime proprium, neminem vnquam es aſpernatus: ſed eos tamen in quibus aut virtus aliqua, aut

doctrina

doctrina eluceret præcipue complexus es, & magnis etiam muneribus affeciſti. quos quidem quam plurimos laudare, eoſq; teſtes locupletiſſimos liceret. Sed omnes enumerare nimis eſſet longum, aliquos autem prȩterire fortaſſe inuidioſum. Quanquam hȩc multo ſunt notiora, quam vt mea aut cuiuſquam debeant oratione celebrari. Quis enim non videt, quot qualeſq; apud te viros, habeas, partim ad negocia ad rerum ſummam pertinentia, partim ad ciuilia, & publica; partim ad domeſtica, & priuata; partim ad proprios vitæ tuæ vſus, partim ad honeſtas oblectationes, familiareſq; congreſſus? Qui omnes, licèt muneribus diſpares, ita ſunt virtutibus, ingenio, nobilitate, gratia apud te pares, vt quem cui præferas, non facile ſit iudicare. Quot præterea ſunt, quos maximis muneribus cumulatos a te dimittis? Poſtremo illud eſt vnicuiq; notiſsimũ, neminem vnquam honeſtũ quicquam a te petiiſſe, quod non impetrauerit. Hoc autem maximum non ſolum liberalitatis & magnificentiȩ ſed etiam iuſtitiæ eſſe indiciũ, vel maximam potius iuſtitiæ partem, de bonis bene mereri, & honore dignos honoribus afficere: quum ſapientes omnes teſtantur, tum iuſtitiæ natura ipſa declarat. Illud nanq; docet, illud clamat, illud iuſtitia vociferatur ac precipit, vt iuſta & debita vnicuiq; perſoluantur, ſic enim praui ſuppliciis deterrentur; boni premiis alliciuntur, & ciuitates ipſæ bonis artibus ac ſtudiis replentur. Quibus enim rebus præclara ingenia ad honeſte agendum, prærterquam; premiis & gloria inuitantur? Vt enim deſpecta minuſq; Principibus grata negliguntur, & iacent, ſic probata ipſis & grata honoribus alta coluntur, ac vigent. Neque certe tãtum eſt boni recte & laudabiliter agere Principem (quamquam hoc bonum eſt per ſe vel maximum) quantum illud; quod multos vitæ, inſtitutorum, morunq; ſuorum habet imitatores. Quod ſi temporum replicare memoriam velimus, videre licebit, tales in qualibet ciuitate fuiſſe ciues, quales eorum fuiſſe Principes eſt animaduerſum. Faciunt igitur Sereniſſime Dux eximiȩ virtutes tuȩ faciunt, vt vix optare tan-

tum audeamus, quantum eæ nos ſperare iubent. Etenim quum in hunc vſque diem in aliis negociis omnibus te non minus prudentem, quam benignum, iuſtum, magnanimumq; oſtenderis, non eſt dubitandum, quin hoc etiam tempore in tuis tuorunq; negociis non minorem prudentiam, non minorē benignitatem, non minorem iuſtitiam, non minorem animi altitudinem ſis demonſtraturus: vt, qui in tuo ſunt dominatu, non poſſint non plane eſſe felices. Nam præterq; quod non minus iuſte, quam pie regentur, illud etiam accedet, quod te, moreſq; tuos aſſidue intuentes, imitari eos, tuiq; ea in re ſimiles fieri ſtudebunt. Itaque quemadmodum Cyneas Romam, Regum ciuitatem ſibi viſam eſſe reſpondit, ſic breui dici poſſe confidimus. Tuſciam ſub te Duce prudentium optimorunq; virorum prouinciam eſſe factam, omnibuſq; optimis artibus ac diſciplinis plenam atque excultam. Videbunt præſtantes ingenio virò labores ſuos non eſſe ingratos. Nulla erit vllo in genere honeſta ars, ac diſciplina, non pictor, non ſtatuarius, non poeta, non orator, non hiſtoricus, qui, quam tractet materiam, petere aliunde cogatur. Tu omnibus vnus omnia ſeppeditabis. Tu eris vnus optimorum ingeniorum & fautor & altor. Ita neque virtutibus tuis præclara ingenia, neque illis deerit, in quo ſe honeſte exerceant, argumentum. Verum eninuero quoniam oratio hæc non propterea eſt nobis inſtituta, vt virtutes tuas quaſi contenxentes, laudes etiam tuas innumeras celebraremus, plurima cōſulto omittemus: quandoquidem ad ſingula neque breui oratione, neque exiguo tempore opus eſt. Quamquam rerum tuarum fama & gloria, non anguſtis hiſce finibus erit contenta; imo vel te etiam inuito non ſolum noſtræ ſed omnium nationum fines peragrabit. Neque deerunt neque ex noſtris, neque ex alienigenis, qui virtutum ac nominis tui ſplēdore ſcripta ſua propediem illuſtrabunt. Nos interea, vt munus noſtrum exequamur, eo vnde huc oratio noſtra delapſa eſt, reuertemur. Ac Deo Opt. Max. gratias quantas poſſumus maximas agemus, cuius numine ac notu te nobis Principem talem datum

eſſe

eſſe intelligimus. Etenim poteſtates omnes atque imperia quum in Dei manu ſint, non illa quidem per nos parta, ſed diuinitus ad nos delata eſſe exiſtimare debemus. Quomodo .n. aliter vnius voluntati atque arbitrio ſeſe multi ſubiicerent? Tibi vero Deo duce & autore contigiſſe, quis non videt? Nam quis in eam te mentem impulit, vt tempore tibi pene inſolito, Florētiam peteres, niſi Deus? Quis iuſtam dedit cauſam? Quis quaſi neceſſitatem veniendi attulit, niſi Deus? ille, ille ipſe huius voluntatis ſuſcipiendę tibi autor fuit. Ille te Roma Florentiam, tanquam a ſacerdotio ad Regnum vocauit. Non ſolum vt, quem vnice diligebas, fratrem ante videres, quam decederet, & in eius ex hac vita diſceſſu præſens intereſſes; & aſpectu pręſentiaq; tua vtriuſq; mœrorem lenires, ſed multo etiam magis, vt debitum tibi atque a Deo reſeruatū imperiū expeditum ſtatim haberes, & paratū; neq; aut corpore vllos ex itinere labores caperes, aut vllis animo ex abſentia ſolicitudinibus eſſes affectus. Hoc tu ne cogitabas quidem ne dum optares, qui pro tua in Sereniſſimum fratrem tuum, eundenq; chariſſimum pietate, diutius eum viuere voluiſſes; atque ex ſe Duce genitos liberos ſibi ſucceſſores relinquere. Sed aliter Deo viſum eſt; aliud fuit diuinum conſilium; Cui tu diuinæ neceſſitati, quamquam ægro animo, non parere tamen non potes, atque huius Imperii adminiſtrationem non tua, ſed noſtra, cæterorumq; tuorum cauſa ſuſcipere. Vitam tu tranquillam, quietanq; viuebas. Nunc labores, curaſque multas ex hac dignitate vides ad te eſſe venturas, vt qui non tibi, ſed nobis, atque tuis regnandum tibi eſſe intelligis. Non enim ignoras optimum Principem nihil pene ab eo differre, apud quem precioſum aliquid fuerit depoſitum, vt .n. ille rem fidei ſuæ commiſſam recipit, non vt ſibi propriam attribuat, eanq; ad arbitrium ſuum abutando, vſu faciat deteriorem; ſed vt integram incorruptanq; ſeruet; dominoque aliquando repetenti incolumem eandenq; reſtituat. Sic optimi Principis eſt, ditioni ſuę ſubiectos, ſibiq; a Deo traditos & commendatos non perdere ac diſſipare, ſed conſeruare potius

& augere,& tanquam diuinum depoſitũ tueri omni diligentia & cuſtodire, vt Deo,qui eius poteſtati illos credidit,repoſcenti fidem ſuam firmam atque inuiolatam præſtet. Difficilia hæc ſunt Sereniſſime Princeps præſertim in tam perdita vita, corruptiſq; hominum moribus; & maximam prudentiam, curam, diligentiam, vigilantia, aſſiduitatem, labores denique maximos poſtulant. Veruntamen virum ingenio, diſciplina, virtute,rerunq; plurimarum cognitione præſtantem, non decet eſſe ocioſum. Nemo ſibi ſoli viuit; nemo ſibi ſoli natus eſt; ſed vnuſquiſq; pro virili facultate aliquibus, & qui multum poſſunt, multis; Principes & qui omnia poſſunt, omnibus. Tuum eſt igitur hoc proprium munus Sereniſſime Dux, imperare; atque imperando omnibus prodeſſe. Quod te eſſe facturum,præter alios quam plurimos, ſacra loca,pietatiq; dicata ſtatim in ipſo Principatus tui initio, id quod maxime religioſiſſimum Principem decuit maximo cũ ſuo commodo ſunt experta. Quando autem munus a præpotenti Deo aſſignatum defugere non licet,in felicitatis parte ponendum eſt,facilia omnia prompta & explicata habuiſſe. Quę tua felicitas noſtra felicitas eſt Sereniſſime Dux, vt .n. facile & ſine vlla difficultate aut labore cepiſti imperium; ſic facilis erit expeditaq; adminiſtratio, & nos in tam facili tuo dominatu placide tranquilleq; vitam traducemus. Quid? hybernæ roſæ, frugum copia, inſperata annonæ vilitas non hoc ipſum omnia portendunt? Quis quæſo ex ſuperioris anni anguſtiis tantam vbertatem, rerunq; omnium abundantiã expectaſſet? Diuinæ voluntatis hæc ſigna ſunt Sereniſſime Dux: ac tuæ felicitatis indicia certiſſima; vt non dubium ſit, quin Deus immortalis numine ſuo tuam hanc dignitatem atque imperium comprobauerit. Lætare igitur tuo hoc tanto bono, ac fruere quum fortuna & gloria, tum multo magis natura & virtutibus tuis. Nos vero, de hac tua amplitudine ac diuino beneficio tibi, vel nobis potius ipſis gratulantes, non inuito, ſed libenti benignoq; animo, quod confidimus, excipe; tibiq; perſuade, quæ ex nobis audis, Senenſes vno

ore

ore omnes eadem pronunciare. Omnibus enim vnus eſt ſenſus, vna atque eadem mens, vna atque eadem voluntas. Idem omnes cupimus: idem optamus; pro tua incolumitate ac felicitate vota facimus omnes; Teq; rogamus atque obſecramus; vt quemadmodum & natura & animo tui ſumus; tuæq; ditioni atque imperio addicti atque ſubiecti, ſic nos benignus & volens tueare & foueas. Omnes qui in tua ditione, ac poteſtate ſumus, corpus vnum ſumus, cuius vita per te, vt per animum hominis vita, ſuſtentatur, qui ſi in corpus omne diffundatur, viget vniuerſum; & ſuo queq; pars munere optime fungitur, ſin ſubtrahat ſeſe & anguſtetur, languent deſertę partes, ac deficiũt. Loca & vrbes, in quibus Princeps aut aſsiduus, aut frequens eſt, florent, Optimiſque & ingenuis virtutibus & artibus replentur, quas vero aut raro, aut nunquam inuiſit, nõ ſolum rudes atque incultas, ſed plane abiectas deſertasq; videmus. Neque vero bene ſe habere, neque valere id omnino dici poteſt, cuius aliqua pars infirma langueſcit. Gubernator, qui nauim eſſe ſaluam cupit, non in ſolum clauum eſt intentus, ſed mali, antennarum, remorum, atque adeo ipſius habet ſentinæ rationem, Imperator, cui exercitus vniuerſi ſalus chariſsima eſt, non prætoriam tantum cohortem, quæ ſibi ad omnia præſto eſt, ſed extremum quemq; manipulum, ac decuriam & animo & oculis luſtrat. Optimus etiam Princeps, cui, vt gubernatori curſus ſecundus, Imperatori victoria, ſic beata ciuium, populorumq; ſuorum vita propoſita eſt, vt opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit, de omnibus cogitare, de omnibus laborare, ſingulos obire, ſingulos inuiſere cogitur. Et quemadmodum Sol moderato acceſſu & receſſu cauſa eſt, vt omnia gignantur, nutriantur, conſeruentur. Sic optimus Princeps certam quandam rationem & modum in ſuis viſitandis ſeruans, honeſtæ, tranquillæq; vitæ omnibus eſt autor. At vero, ne propterea hæc a nobis dici exiſtimes, quod de tua erga nos beneuolentia & pietate dubitemus. Non enim gregem ſuum bonus paſtor odiſſe poteſt. Sed ita natura comparatum eſt

Sereniſſime

Sereniſſime Dux, vt quæ vehementer expetimus vehementius etiam petamus. Qui aliquem vnice amant, ſemper eum præſentem videre cupiunt. Non latet infirmum certis ſuiſq; horis medicum ad ſe eſſe venturum, rogat eum tamen vt crebro ad ſe adeat. Magnum vulnus accepimus, in morbum grauem incidimus, his, præter te, mederi nemo poteſt. Tu igitur accedas oportet, vt morbi vulneriſq; vim preſens aſpicias, & ad ea ſananda ſuum aptunq; adhibeas medicamentũ. Quod ſi hoc a te non contenderemus, neque infirmitatem noſtram, neque virtutem tuam agnoſcere, vel vtranq; potius negligere videremur. Quantus autem noſter in te amor ſit, vel Charitas potius; licet eius non dubia ſigna, dum Roma Florentiã & Romã Florentia potẽs, iter per ciuitatem noſtrã faceres, cernere potueris; tamen niſi præſens adſis, nullis vnq; neq; cogitationis, neque mentis viribus aſſequeris. Inſpicias, inſpicias ipſe neceſſe eſt. Tute ipſe animi noſtri iudex eris & teſtis. In ore, in vultu, in cuiuſq; oculis cor ipſum ardere præ charitatis magnitudine videbis. Puellæ, pueri, mulieres, viri, plebs, nobiles, ciuitas vniuerſa te vocat; te habet in ore, te vnum vociferatur; te videre tota cogitatione cupit. Mœnia, viæ, domicilia, fora, templa, gymnaſia, vrbs tota ciuium vocibus reſonat; FERDINANDVM refert; FERDINANDVM appellat; vnius FERDINANDI aſpectum deſiderat. Iam reliquum eſt Sereniſsime Dux, vt te iterum etiam atq; etiam rogemus, atque obteſtemur, vt gratulationem hanc noſtram hilari fronte, lætoq; animo excipias; & pro certo habeas, multo magis animo nos gratulari, quam vt verbis, & oratione exprimere poſſimus. Tuamq; hanc ciuitatem & vrbem, addictam tibi atq; deuotam aliquando inuiſas; & ſi maxime fieri poſſit, crebro etiam viſites; tuoq; iſto regio vere conſpectu reficias, ac recrees, eiuſq; patrocinium ſuſcipias; vt eundem te Principem, ducem, & patronũ habeamus, quod ſi fiat, nihil eſt, quod de nobis dubitemus. Cuius enim quiſque rei opifex & dominus eſt, is omnium optime eius eſt cuſtodiendæ, ac tuendæ peritus. Interea nos præter obſeruantiam, fidem, conſtantiam,

quam

quam,quo ad vita ſuppetet ſinceram incorruptanq; præſtabimus,Deo ſupplicare non deſiſtemus,vt ad noſtram tuorumq; omnium tranquillitatem, ſecuritatem , & commodum diu te ſeruet incolumen , Et quoniam naturæ neceſſitas iubet,vt diuina ad Deum aliquando tandem reuertantur,optima & felici prole augeat;in qua non ſolum oris vultuſq; tui imaginem ſed multo etiam magis mores virtuteſq; tuas videamus expreſſas.Vt ex Medicea tuaq; progenie nunquam deſit , qui veſtigiis tuis inſiſtens , prouinciam hanc atq; hos populos inſtitutis ac legibus per te optime ſancitis & conſtitutis iuſte pieq; regat , parique animi magnitudine moderetur.

FINIS.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

XXX
94-B
20368
THE GETTY CENTER
LIBRARY